

chos, aut auctoritate et approbatione ejusdem in formales socios et coadjutores parochorum Franciscanorum instituebantur, in quo casu ordinarie demandatur illis aliqua ex cappellaniis localibus.<sup>204</sup>

De factis accedere debemus ad jus. An potuerint Vicarii Apostolici hujusmodi presbyteros in parochos vere et proprie dictos eligere eisque certas parochias determinare? — Si bene examinemus quaedam facta ac modum se gerendi S. C. de Propaganda fide, ad negativam conclusionem pervenire cogimur.

Siquidem, a. 1750 Romam venit unus ex his presbyteris D. Antonius Budimir, qui a S. Congregatione litteras patentales missionarias pro Bosna petebat, ne a Franciscanis, qui ibi curam pastorem gerunt, molestaretur. S. Congregatio petitioni annuit ea tamen conditione: »... dummodo se abstinere ab exercitio parochialium«. <sup>205</sup> Septem annis postea ad lamentationem Vicarii Apostolici Dragičević de impossibilitate bene providendi fidelibus ob parochorum penuriam, praesertim in vasta parochia de Kressevo, rescripsit S. Congregatio eum posse in tali necessitate adhibere presbyterum saecularem, qui sacramenta administret, attamen »sine praejudicio jurium parochialium«. <sup>206</sup> — Ex dictis jam satis luculenter patet, quid S. Congregatio de parochiarum proprietate senserit. Hoc idem adhuc magis liquet ex sequenti casu.

Anno videlicet 1760 episcopus Dragičević, cum Fratres inducere non potuerit, ut parochiam eorum de Ljubuški providerent, non audebat neque aestimabat se posse loco eorum presbyterum saecularem instituere, sed interpellavit eos, ut aut parochiam de idoneo parrocho providerent, aut juri ad eam renunciarent, ut ipse postea de ejus-

<sup>204</sup> Talis cappellanus fuit in Foča Don J. Lučić. Cfr. Jelenić, Izvori, 117, n. 101.

<sup>205</sup> Archivum Prop., Acta, 1750, v. 120, f. 135v—136v.

<sup>206</sup> »Ad primum deputet unum ex tredecim presbyteris illius cleri saecularis absque ullo stipendio cum facultate administrandi sacramenta sine praejudicio jurium parochialium, et cum dependentia cum Vicario Apostolico«. Archivum Prop., Acta, 1757, v. 127, f. 241v—242r.